

16. *Ipse enim spiritus testimonium reddit &c. Ad calcem litera grandi: Explicit postilla super epistolam ad hebreos edita a fratre*

finito libro sit laus et gloria christo.

CCVI.

R. 1464 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 271. f. per duas columnas exaratus, minioque distinctus inscribitur: *Incipit prologus fratris nycolai gorre Ordinis predicatorum super epistolas pauli. Initium ejusmodi: Dedi te in lucem gentium — ysa. 49. Legimus Gen. I. quod fecit deus duo luminaria magna &c. Post Prologum prolixum: Incipiunt postille Reuerendi magistri nycolai Gorre fratrum Ordinis predicatorum super epistolas pauli apostoli. Et quidem sic: Paulus seruus ihesu christi. In principio hujus operis sicut et aliorum operum theoloyce quatuor specialiter solent inquiri que precedenti prologo demonstrata sunt scilicet quis autor. Quia apostolus paulus. Que materia. Quia doctrina evangelica &c. Singulare, ipsos Ordinis Praed. Bibliothecarios T. I. p. 440. et p. 353. haerere, utrum haec Expositio Nicolao de Gorran, an Petro de Tarentasia tribuenda sit, Editionibus pro illo, Codicibus vero mss. pro hoc militantibus. Nec nostrum, tantas componere lites. Interim Jacobus le Gall ejusdem ord. Editioni, quam novissimam puto, a se Lugduni 1692. f. curatae fidenter Gorranii nomen praefixit. Non Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Nicholao de lyra de ordine fratrum minorum deo gratias. Sacre theologie venerabili doctore.

memorant hanc Editionem praefati Bibliothecarii. In praesenti Codice tantum exponuntur *Epistola ad Rom.* utraque *ad Corinth.* et *ad Galat.* ferunturque plura ejusmodi Exemplarium, in quibus aliquarum tantum habetur Expositio. Autorem a. 1295. vix supersitem, quem saepe dicti Bibliothecarii de Gorran vel Gerrain dictum, et Gallum volunt, Tannerus diu post illos in *Bibl. Brit. Hibern. Lond. 1748. p. 333.* cum aliis Popularibus suis oriundum de Gorham in agro Hertfordensi Angliae facit.

CCVII.

U. 188 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 260. 4. currente calamo perscriptus et olim legatus pro libraria Collegij Theologorum et Artistarum in Vienna a M. Petro de Pulka continet ejusdem Commentaria scholastica in Pauli Epistolam ad Romanos praevia Introductione, quae incipit: *Lecturus Epistolas doctoris gencium egregij beatissimi pauli quasi cecutiens et sompniando aspiciens preclarissimum lumen diuine sapiencie in eis tradite pro eius aliquali recommendatione exordior per verba sompniij Mardochei dicens: Fons parvus creuit in fluuium maximum et in*

aquas plurimas redundauit. Hester X^o. Atque ex hoc principio, licet nomen Autoris in Codice non appareat, liquet, illum Petri de Pulka opus esse; ab eodem enim Textu orditur is sua in I. ad Corinthios Commentaria, ut infra videbimus. Tempus scriptionis e calce manifestum fit: Anno 1412. 9. die Nouembris. lecta 15. die decembris.

Quae pietas antiqua dedit, rudibusque figuris

In levi pinxit corio mansura per aevum

(Sic certe voluere) et erant mansura per aevum

Omnia, Custodum ni turpis inertia tradat

Muribus aut blattis, aut Ignorantia scindat

Forfice luxurians.

CCVIII.

U. 187 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 343. ejusdem cum praecedente conditionis, et ab eodem M. Petro de Pulka eidem Librariae legatus complectitur Eius *Dubia super Epistolam ad Romanos*, ut praefert Titulus a manu coaeva adfixus. Ineunt: *Hic dubitatur primo an beata virgo Maria mater Christi et consequenter Christus descenderint de stirpe dauidica* &c. Vide et Codices sequentes.

CCIX.

U. 186 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 311. 4. currente calamo perscriptus et olim legatus pro *libraria Collegij Ducalis in Vienna* a M. Petro de Pulka T. D. de quo Viro celebri et *Conspectus Hist. Univ. Vien. et Pars I. Scriptorum* ejus p. 95. agit, et nos

Codicem antice vestit Membrana mutila hebraica priore columna exhibens *Textum Job c. 42. v. 9 — 16. altera Proverb. c. 1. v. 4 — 18. bene exaratum, atque punctatum. Juvat cum Foppenio in Dedicat. Opp. Diplom. Aub. Mirraei non semel ingemiscere fato ejusmodi Monumentorum,*

frequenter meminimus, complectitur ejus *Commentaria scholastica in I. Pauli ad Corinthios Epistolam* hoc ingressu: *Transmeato iam duce domino primo fluuio maximo et altissima diuine sapientie abyssio Epistola videlicet beatissimi Pauli ad Romanos, nunc ejusdem me confortante gratia secundum aggreddiens fluuium transuadandum Epistolam videlicet ad Corinthios* &c. Finito Prooemio exponitur etiam Argumentum illud: *Corinthij sunt achaici* &c. Commentaria autem sistunt ad Epistolae ipsius Caput *ult.* seu XVI. cujus non nisi V. 1. adscriptus est.

CCX.

Codex praecedenti per omnia U. geminus, Folior. 416. complectitur *Dubia per Venerabilem et Eximium Artium et sacre pagine professorem Magistrum Petrum de*